

Communis et certa, textu expresso c. *Auctoritate 4, de Privil.* in 6, et c. *licet 11 eod.* Ratio est; quia per interdictum locale privatio divinorum affixa est loco interdicto respectu cujusvis personæ.

197. *Qui causam dederunt interdicto locali in quovis etiam alio loco prohibentur celebrare, et audire divina.* — Porro circa interdictum locale specialiter notandum, quod illi, qui causam interdicto dederunt, non tantum in loco interdicto, sed etiam in quovis alio loco prohibeantur celebrare et audire divina, prout cum Sylvestro *interdictum 2, n. 7,* docent Suarez de *Censuris* disp. 37, sect. 4, n. 15. Barb. in c. *Si sententia 16, de Sent. excomm.* in 6, n. 3, et alii, arg. cit. c. *Si sententia*, ubi illis tantum incolis loci interdicti conceditur audire divina in alio non interdicto loco, qui causam non dederunt interdicto; ergo a sensu contrario illis, qui dederunt causam, non conceditur.

198. *Interdicti effectus principaliter sunt tres.* — Quæritur III. Qui sint effectus interdicti, et quomodo iidem intelligendi? Resp. I. Effectus interdicti esse tres, qui in ejus definitione jam ponuntur; et sunt privatio participationis quorundam sacramentorum, prohibitio officiorum divinorum, et privatio ecclesiasticæ sepulturæ

199. *I. Est privatio, quorundam non omnium sacramentorum, et quidem in specie sacramentum baptismi dari potest omnibus etiam adultis tempore interdicti.* — I. Igitur effectus interdicti est privatio quorundam sacramentorum. Et notanter additur, quorundam; quia tempore interdicti non prohibetur administratio, et receptio omnium sacramentorum, sed aliquorum tantum. Nam imprimis baptismi, et confirmationis sacramentum non tantum parvulis, sed etiam adultis, propter moræ periculum licite tempore interdicti administratur, cap. *Quoniam de excomm.* in 6.

200. *Sicut et sacramentum confirmationis, exceptis specialiter interdictis.* — Pariter etiam sacramentum confirmationis parvulis et adultis tempore interdicti localis et personalis generaliter facti consueta cum solemnitate dari, ac propterea etiam chrisma in Cena Domini confici potest, textu expresso cit. c. *Quoniam 19, de Sent. excomm.* in 6. Specialiter tamen interdictis, sicut et iis, qui generali interdicto causam dederunt, sacramentum confirmationis dari non potest, ut cum Bonacina bene observat

Suarez disp. 32, sect. 2, num. 9, c. *Alma mater.*

201. *Item etiam sacramentum pœnitentiæ exceptis nonnullis casibus.* — Insuper etiam sacramentum pœnitentiæ non tantum morituris, sed etiam sanis (nisi sint excommunicati, vel nisi causam dederint interdicto, ac nedum satisfaciant, neque idoneam de satisfaciendo cautionem præstent) rite tunc administratur, c. *Alma mater de sent. excomm.* in 6. Insuper tunc moribundis sacramentum Eucharistiæ per modum viatici dari potest, c. *Quod in te de pœnit. et remiss.*

202. *Non item sacramentum Eucharistiæ, nec Extremæ Unctionis, nec Ordinis.* — Igitur tempore interdicti denegatur sanis Eucharistiæ sacramentum, ut notat Glossa communiter recepta in c. *Alma et Admittantur*; quia circa hoc sacramentum Eucharistiæ sanis administrandum nulla reperitur nova concessio, sicque standum est antiquitati. Insuper denegatur tunc sacramentum Extremæ Unctionis, cit. c. *quod in te de Pœnit. et remission.* ibi: Per generale Interdictum denegatur omnibus tam Unctio, quam ecclesiastica sepultura. Idem dic de sacramento Ordinis, quod conferri prohibetur personis interdictis, aut in loco interdicto. Tandem prohibetur benedictio nuptialis, quamvis matrimonium sine ea licite contrahatur tempore interdicti, et ab interdictis, ut post Innocentium notat Sylvester *interdictum, n. 9,* et alii.

203. *Nisi in periculo mortis et simul necessitatis.* — Notanter tamen n. præc. dicitur sanis; quia constitutis in probabili periculo mortis, et infirmitatis, difficilis partus, condemnationis, imminentis prælii, aut alia simili causa proveniente sacramentum Eucharistiæ licite administratur, textu expresso c. *Quod in te 11 de Pœnit. et Remission.* et c. *Permittimus 57, h. t.* Immo infirmo aliud sacramentum recipere non amplius valenti, etiam Extremam Unctionem dari posse, putant Pirhing. h. t. n. 234. Palao tr. 29, disp. 5, pun. 4, § 1. n. 20, arg. cit. c. *quod in te de Pœnitent. et Remission.* Sacramentum Ordinis quoque clericis specialiter non interdictis conferri posse casu magnæ necessitatis, et penuræ sacerdotum, volunt Sylvester, *interdictum 5, n. 9.* Pirhing. h. t. n. 235, et alii.

204. *II. Effectus interdicti est privatio divinorum officiorum?* — II. Effectus interdicti est privatio divinorum officiorum, c. *Committitur*

57, h. t. et c. *Si sententia 16, eod.* in 6, ubi per divina officia intelliguntur functiones, et actiones spirituales, quæ primo ac per se annexæ sunt ordini sacro, et quæ ex institutione Christi et Ecclesiæ a solis clericis exercentur, ut in specie sunt sacrificium Missæ, solennes benedictiones templi, fontis baptismalis, aquæ benedictæ, cinerum, palmarum, candelarum, orationes, et litanie cum solemnibus processione; item quævis publicæ, et solennes oratio præsertim horarum canonicarum; quæ tamen privatim dici debent ab iis, qui alias ad illas tenentur, etsi interdicti sint.

205. *Qui tamen multum limitatus est hodie.* — Quibus tamen divinis officiis non annumerantur conciones, quas etiam tempore interdicti in Ecclesia haberi posse, censet Navarrus *Manual. c. 27, n. 176.* Suar. de *Censuris* disp. 34, sect. 3, a n. 1, eo quod hæc non ad Deum orandum, et precandum, sed ad populum instruendum, ut a vitiiis absteineat, et Ecclesiæ obediat et c. ordinentur.

206. *Ita, ut Missæ, et alia divina tempore interdicti generalis quotidie celebrari valeant, dummodo fiat non pulsatis campanis.* — Notandum tamen, quod hic secundus effectus, videlicet privatio divinorum officiorum quoad interdictum generale (non item particulare) satis fuerit moderatus a jure novo c. *Permittimus 57, h. t.* et c. *Alma mater eod.* in 6, adeo ut vigore cit. c. *Permittimus*, hodie tempore interdicti possint semel in septimana Missam celebrare causa conficiendi SS. Corporis Christi pro infirmis.

207. Vigore c. *Alma mater h. t. in 6,* autem possunt tempore interdicti generalis in ecclesiis et monasteriis quotidie celebrari Missæ, et alia officia divina, sicut extra tempus interdicti fieri poterant; dummodo quatuor sequentes serventur conditiones; videlicet primo, ut id fiat non pulsatis campanis pro convocatione populi, nec pulsatis tintinnabulis ad *sanctus*, et elevationem S. Hostiæ. Quo non obstante campanas ad concionem habendam, et ad salutationem angelicam, sicut etiam, dum viaticum portatur ad infirmos, pulsari posse, sicut et tintinnabula palant Sylvester. *interdictum 5, n. 7.* Suar. loc. cit. sect. 2, n. 19. Covarruvias in c. *Alma mater* p. 2, § 4, n. 5, et alii; eo quod hæc nomine divinorum officiorum non veniant.

208. *Submissa voce.* — Secunda conditio

est, ut Missæ, et alia divina officia fiant submissa voce; id est, absque organis, sollemni cantu et c. ut ii, qui extra ecclesiam sunt, nil de iis audiant.

209. *Januis clausis.* — Tertia conditio est, ut fiat januis clausis; quatenus, etsi fideles ad Missam, aliaque divina convenire, ecclesiam ingredi, et ibidem divina officia audire valeant, extra tamen existentes videre nequeant, quid ibidem agatur, arg. Clem. 1, de *Sentent. excommunicationis.*

210. *Et personaliter interdicti, et qui interdicto causam dederunt, excludantur.* — Quarta conditio est, ut personaliter interdicti, et ii, qui interdicto generali causa dederunt, excludantur, et ad audienda divina nullatenus admittantur, ita de concessione celebrandi divina sub quatuor his conditionibus expresse statutum habetur in cit. c. *Alma mater h. t. in 6,* ubi lege.

211. *In festis Paschatis, Pentecostes, Assumptionis B. V. Mariæ, et Corporis Christi interdictum censetur suspensum.* — Eodem cap. *Alma mater* ulterius dispositum invenitur, quod in quatuor festivitibus Natalis Domini, Paschatis, Pentecostes, et Assumptionis B. V. M. a primis vesperis usque ad completorium festivitatis inclusive interdictum ita maneat suspensum, ut Missæ sacrificium et alia divina omni cum solemnitate celebrari valeant, ita tamen, ut nihilominus exclusi maneant excommunicati; personaliter vero interdicti et qui interdicto generali causam dederunt, intrare quidem, et divina audire, altari vero appropinquare non valeant faciendo oblationem. Quæ interdicti suspensio a Mart. V, et Eug. IV, fuit extensa ad festum et totam octavam Corporis Christi teste Pirhing. h. t. n. 246.

212. *III. Effectus interdicti est privatio sepulturæ ecclesiasticæ.* — III. Effectus interdicti est privatio sepulturæ ecclesiasticæ. Et hic effectus sic intelligendus est, ut imprimis in loco sacro interdicto nullus quantumvis innocens, nec infans nec amens possit sepeliri, c. *quod in te de Pœnit. et remission.* nisi habeat privilegium, quale datur (ut alios privilegiatos taceam) omnibus clericis, qui personaliter interdicti non sunt, et interdicto locali causam non dederunt, ac tempore interdicti generalis illud servaverunt; hi enim cum silentio, id est, absque campanæ pulsatione, divino officio, et aliis consuetis solemnitatibus in loco sacro etiam interdicto sepeliri valent, c. *Quod in te, de Pœnitent. et*

Remission. cujus dispositio licet loquatur de interdicto generali, speciale tamen excludere non videtur, ut in cit. c. *Quod in te* notat Abbas n. 10. Sylvester loc. c. n. 10, et alii.

213. *Limitatur tamen dictus effectus et quomodo?* — Porro tempore interdicti localis generalis (secus est in personali, vel si alicujus terræ populus interdicto notetur nam etiam tunc singulares personæ censentur interdictæ, ne alioquin sententia effectu careat) possunt homines illius loci, qui personaliter interdicti non sunt, extra illum locum efferi, et in alio sacro non interdicto sepeliri, arg. c. *Si sententia de Sentent. excommun.* in 6.

214. Quinimo, si quis sepultus fuerit extra locum sacrum tempore interdicti, cessante interdicto in locum sacrum transfereendus, si id commode fieri possit, ut post Gloss. in c. *A nobis, de Sentent. excommun.* in 6, §. *Forma*, notat Navarrus, cap. xxvii, *Manual.* num. 176. Pirhing, h. t. n. 251.

215. *Si quis in loco interdicto sepelitur, non est amplius exhumandus.* — Si autem contingit contra prohibitionem juris aliquem interdictum sepeliri in loco sacro, non erit is extrahendus quia hoc non habetur statutum Glossa cit. et Engel, h. t. numer. 96. Quamvis secus sit dicendum de excommunicatis, quippe qui in loco sacro sepulti debent exhumari, c. *Sacris de Sepult.* Nam hæc pœnis non est extendenda ad alium casum jure non expressum, simulque excommunicatio privat communione fidelium, non vero interdictum.

216. *Violans interdictum, peccat graviter.* — Quæritur IV. Qualis, et sub quibus pœnis sit obligatio servandi interdictum? Resp. I. Interdictum servandi est obligatio gravis, adeo ut illud violare ex genere suo sit peccatum grave. Communis et certa doctorum. Ratio est, quia interdictum violantes, præceptum Ecclesiæ in gravi materia violant, consequenter mortaliter peccant, per ea quæ de obligatione legum diximus, l. I, t. II, *de Constit.*

217. *Clericus violans interdictum incurrit varias pœnas. Et quidem I. Evadit irregularis.* — Resp. II. Personæ ecclesiasticæ, tam regulares, quam sæculares interdictum violantes, præter culpam mortalem varias incurrunt pœnas. Patet inductione. Nam primo contrahunt irregularitatem, textu expresso c. *Is qui*, 18, §. fin., et c. *Is cui*, 20, h. t. in 6.

218. II. *Suspenditur ab officio et beneficio.* — Secundo incurrunt suspensionem, ab officio, beneficio, et jurisdictione, c. *Tanta est* 18, *de Excessib. prælat.* ubi summarium sic habet: « Non servans interdictum suspensus est ab officio, beneficio, et omni jurisdictione. » Gl. ib. vers. *Irritas* et Abbas, num. 1. Suarez ubi supra, sect. IV, num. 16. Laym. l. I, tr. V, p. IV, c. 3, n. 3, cum aliis volentes, hanc pœnam ipso facto incurere omnes cujuscunque interdicti violatores.

219. *Non tamen ipso facto.* — Gonzalez e contra in cit. cap. fin. *de Excessib. prælat.*, num. 2, cum Bonacin., et aliis satis probabiliter docet, violantes interdictum ordinariæ non ipso jure esse suspensos ab officio et beneficio, sed suspendendos primum; et ar. desumpto ex secunda parte c. cap. fin. ubi primum suspendendi jubentur violatores interdicti. Nec obstare videtur, quod episcopo interdictum violantis sententia et alia acta ibidem delarentur irrita; quia specialis ratio erat de illo episcopo, utpote qui non solum ut interdictus illa facere, sed etiam alios ad violandum interdictum Sedis apostolicæ inducere, et compellere præsumpsit.

220. III. *Privatur voce activa et passiva eligendi.* — Tertio privantur jure passivæ et activæ electionis, ita ut nec eligere valeant c. *Is qui*, h. t. in 6, nec ipsi eligi aut postulari c. 1, *de postulat. Prælat.* Layman, loc. cit. Sylvester, §. *Interdictum*, 6, q. 2.

221. IV. *Perdit privilegium sepulture tempore interdicti.* — Quarto perdit ipso facto privilegium, ipsis alias de jure c. *Quod inter de Pœnitent. remission.* ut c. *Is cui*, h. t. in 6, competens, vi cujus tempore interdicti sepeliri possunt in loco sacro, per dicta num. 223.

222. V. *Regulares non servantes interdictum sunt etiam excommunicati.* — Quinto religiosi etiam exempti non observantes interdictum generale locale, et quod ab ecclesia cathedrali, et parochiali observari vident, præter memoratas pœnas incurrunt excommunicationem Clem. 4, h. t. ubi additur idem intelligendum esse de cessatione in divinis.

223. *Regulares non tantum servare, sed etiam publicare tenentur interdicta ab ordinariis lata.* — Porro religiosi etiam exempti non solum servare, sed et publicare tenentur interdictum et alias censuras ab episcopo latas, quando episcopus id mandat, concil.

Trid. sess. 23, *de Regular.*, c. 12, ibi: « Censuræ et interdicta necdum a Sede apostolica emanata, sed etiam ad ordinariis promulgata, mandante episcopo a regularibus in eorum Ecclesiis publicentur, et servantur. »

224. *Salvis tamen eorum privilegiis.* — Hæc autem et præfata de religiosis intellige, salvis eorum privilegiis circa interdictum, de quibus vide compendium privilegiorum, et etiam nostrum Augustinum Matthæum in suo libro intitulato *Officialis curiæ*, §. *Interdictum*, c. 20.

225. *Laici non servantes interdictum, et alios non servare facientes peccant graviter, et sunt excommunicati.* — Resp. III. Quamvis contra laicos interdictum violantes pœnæ speciales in jure reperiantur statutæ, tamen illud certum est, quod laici quicunque præsertim domini temporales, et officiales ipsorum, qui clericos quomodolibet compellunt, aut cogunt, ut in loco interdicto Missas, vel alia divina publice et solemniter celebrent: item qui pulsatis campanis, vel voce præconis, vel alio modo alios præsertim excommunicationis vel interdicti sententia specialiter innodatos, ad divina audienda evocant, aut convocant: item qui eosdem nominatim excommunicatos, vel interdictos, ne ad clericorum monitionem de ecclesiis tempore divinorum exeant, impedire præsumunt; aut ipsimet excommunicati, vel interdicti ad monitionem exire recusant, vel divinis violenter se ingerunt, gravissime peccant, et excommunicationem Papæ reservatam ipso facto incurrant, prout fere in terminis expresse statutum habetur Clem. *Gravi*, 2, h. t. quæ digna est lectu, tenentque cum communi ac certa aliorum, Suarez, *de Censuris*, dis. 22, sect. 4, n. 27. Pirhing, h. t. n. 245.

§ VIII.

DE JUDICE CENSURARUM, ET DE ABSOLUTIONE AB EISDEM; PRÆSERTIM AB EXCOMMUNICATIONE; UBI ETIAM QUÆDAM DE POTESTATE ABSOLVENDI A CENSURIS, AC ALIIS TAM RESERVATIS, QUAM NON RESERVATIS PECCATIS COMPETENTE REGULARIBUS.

226. *Solus ecclesiasticus, minime vero laicus est judex censurarum, earumque valorem, vel nullitatem cognoscere, et declarare valet.* — Quæritur I. Quis sit judex censurarum, et ad hoc, ut de illarum justitia, vel injustitia, et valore, vel nullitate judicare, consequen-

ter censuratos præsertim excommunicatos a censura et effectibus illius immunes, et debilitatos vel obligatos declarare valeat? Resp. I. Hujusmodi judicem esse solum superiorem ecclesiasticum, nullatenus autem aliquem quacunque tandem dignitate fulgentem laicum. Ita unanimes et certa. Ratio patet, quia censuræ ex natura et essentia sua sunt pœnæ et materiæ spirituales ac ecclesiasticæ a sola Ecclesia constitutæ, juxta omnes, in materia autem spirituali solum ecclesiasticum, nullatenus autem laicum aliquem posse esse judicem, concursus omnium doctrina est, ob clara jura c. 2, *de Judiciis*, ubi universaliter et absolute dicitur: « Prohibemus, ut laici ecclesiastica negotia tractare non præsumant; » c. *Tuam de ordin. cognit. c. Inquisitionis* 18, §. *Prohibemus de hæretic.* in 6, can. 1, *Denique* 5, can. *Si imperator catholicus est*, 11, dist. 96, cum Concordantiis: et amplius jam dictum habetur, l. II, tit. 1. § 3, a n. 66. Quibus accedit manifesta decisio concilii Trid., sess. 23, *de Reform.*, c. 3, ubi ad propositum in specie expresse declaratur, quod utrum excommunicatio aliqua rite lata sit, non ad seculares, sed ecclesiasticos cognitio pertineat. Quare.

227. *Laici in causa censurarum partes judicis assumentes sunt ipso facto excommunicati.* — Resp. II. Dominos sæculares quoscunque, eorum officiales et ministros, necnon quoscunque alios quacunque tandem excogitabili dignitate fulgentes laicos non tantum gravissime peccare, sed excommunicationem Papæ reservatam ipso jure incurrere, si in causa censurarum partes judicis quoquomodo assumunt; quia vi Bullæ Cœnæ universaliter ipso facto excommunicati existunt, « qui in causarum spiritualium cognitione se tanquam judices interponunt. »

228. *Et quidem in specie I. Qui publice censuratum faciunt adesse divinis.* — Et quidem in specie I, ipso facto excommunicati sunt, qui censuratos, præsertim nominatim excommunicatos, et interdictos, ut ad divina audienda in ecclesiis libere conveniant, vocant, hortantur, instigant, vel etiam pulsatis campanis, aut voce præconis convocant, vel omnino compellunt: sicut etiam, qui alios præsertim subditos, ne etiam moniti tempore divinorum ab Ecclesia discedant, prohibent; sicut etiam ipsi ibidem remanentes, textu expresso supra a n. 233, jam citato, et Clem. *Gravis*, 2, h. t. quam pro commo-